DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-DIAETETICA

DE

NUTRIMENTIS

ET

POTULENTIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. Professorum

pro

Doctoris Medicinae et Chirurgiae Laurea

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME OBTINENDIS

IN CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI,

SUBMITTIT

Georgius Antonius Dresler,

BOHEMUS LITOMISLIENSIS,

Medicus castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die . mensis Junii 1840.

Vindobonae.

Typis Caroli Ueberreuter.

Der Schöpfer bereicherte Luft, Erde und Wasser für die Menschen mit Millionen Nahrungsgattungen, die sie alle nach Selbstkenntniss auswählen und gebrauchen dürfen. Man kann das Schmackhafte mit dem Nützlichen verbinden, ohne sich zu grober Kost des Landvolkes herabzuwerfen, oder auf die bis zum Tode stimulirende Küche der Vornehmen zu gerathen.

Medium tenuere beati.



AVUNCULIS SUIS OPTIMIS

BENEFACTORIBUS SUMMIS

DOMINO

JOANNI DRESLER,

CAESARAE ET REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS PROTRIBUNO LEGIONIS PEDESTRIS V. REISINGEN Nro. 18.

ET

ADMODUM REVERENDO

DOMINO

FRANCISCO XAVERIO PAUL,

DECANO LITOMISLIENSI, EPISCOPALI VICARIO FORANEO IN VICARIATU ALTOMAUTENSI, CONSISTORII REGINAE HRADENCENSI CONSILIARIO TITULARI, SCHOLARUM NATIONALIUM INSPECTORI DISTRICTUALI ET INSPECTORI MORUM AD INSTITUTUM PHILOSOPHICUM LITOMISLIENSE, VICE-DIRECTORI ET COMMISSARIO EPISCOPALI AD CAESAREUM REGIUM GYMNASIUM LITOMISLIENSE, NEC NON SOCIETATIS AD PROMOVENDAM IN BOHEMIA INDUSTRIAM TECHNICAM MEMBRO etc.

VIRIS

SCIENTIA, MORUM CANDORE,

NEC NON

HUMANITATE AEQUE INSIGNIBUS

FAUTORIBUS OPTIMIS

IN

PERENNIS GRATITUDINIS

PII AMORIS

ET

SUMMAE VENERATIONIS

MONUMENTUM

HAS SCIENTIARUM ACADEMICARUM PRIMITIAS

SACRATAS ESSE VULT

gratissimus

Dresler.

Fautores optimi!

Dissertationem hanc inauguralem medicam in lucem mittens studiis valedico academicis et novam quasi epocham vitae meae ingredior. Hucusque autem peractae momenta animo pervolvens, liberalis **VESTRAE** erga me benevolentiae et amoris documenta adeo grata memoria quotidie mecum repeto, ut summo nunc gaudio opportunitatem non arripere nequeam, Vos, eximii mei fautores, publice agnoscendi colendique. Vestra vero singularis erga

me benignitas ac propensio dulci me mulcent spe, benevolo ac sereno vultu Vos tenellas hasce primitias literarias excepturos

devinctissimus

Auctor.

Introductio.

§. 1.

Summum, quod mortalibus concessum, vitam jucundam aeque ac perfectam reddens; perfixamque adsequi destinationem potenter adjuvans bonum, sanitatem esse; nemo inficias ibit, qui perpendit, quod aegri nullius parcant sumptibus, nullis abhorreant difficultatibus, ubi de recuperanda agitur sanitate, quodque illis, qui sub Hippocrate stipendia merebantur, jam ab antiquissimis temporibus divinus fere tribueretur honos. Quam facile haec hominum agendi ratio ad falsam perduceret conclusionem experientia minime comprobatam cuilibet patet! — Utut enim nil sit, quod pro adipiscenda sanitate non tentarent homines, minus tamen, quod quidem rationi magis consentaneum foret, in hoc divino conservando bono cauti esse solent, ita, ut casus non raro observentur, ubi de morbo in morbum labuntur. Non mirabitur, qui tum multiplicem teneramque organismi structuram, tum immensum, potentiarum in- et externarum in organismum humanum agentium considerat exercitum. Organismus enim individuus humanus, universae naturae productum, persistere nequit, nisi in continuo cum rebus externis conflictu, quarum impressiones suscipit, et pro re nata reagit. Hanc inter potentiarum externarum actionem et internarum reactionem debitum semper requiritur aequilibrium, quod quamprimum turbatur, sanitas tollitur poniturque morbus. Hinc factum est, ut antiquissimi jam medici de regulis cogitarent, secundum quas potentiarum in- et externarum in organismum agentium influxus moderaretur, ita, ut sanitas incolumis persistat; aut amissa restituatur. Has regulas exponens doctrina diaetetica audit.

§. 2.

Cum autem duplex sit status, in quo vita existit, sanus nimirum et morbosus, diaetetica quoque in duas diramatur partes, prouti vel sanorum, vel aegrorum praecipuus habetur respectus, quarum haec diaetetices therapeuticae, illa Hygienis nomine insignitur.

§. 3.

Est autem Hygiene doctrina praesidia et rationem sanitatis conservandae tradens. Quod, ut debite praestet, regulas ex scientiis medicis petitas, experientia comprobatas statuere debet, secundum quas potentiarum tum in-, tum externarum in organismum sanum agentium influxus ita dirigitur, ut supra memoratus assequatur finis.

§. 4.

Quae Hygienes studium adjuvant dupplici ex fonte petuntur, quorum prior ex naturae universae, alter ex naturae organismi humani cognitione scaturit. Praeferunt itaque huic doctrinae facem ex una parte historia naturalis, Chemia et Physica, ex altera autem Psychologia et Physiologia.

§. 5.

Si Marsilius Ficinus ad tuendam sanitatem aurum myrrhamque in usum trahere atque quovis septimo anno astrologum consultare suadet, aut si Baco seductus sanis nitri usum ad condensandos spiritus vitaeque prolongationem commendat, aut si alii veterum contendunt, quemcumque in statu sano persistere conantem centum et ultra potus theati vascula intra diei spatium consumere debere, nullus sanae mentis idcirco repudiabit doctrinam diaeteticam. Sufficit enim commemorasse, hanc doctrinam inter nos et res externas relationem exponere, qua eo minus carere valemus, quo perfectior et animus et mens. Cultiores enim, magis multiplicatum cum externa sustinentes natura nexum, frequentiores ac vividiores reactiones experiuntur; dum rudis in angustiore in- et externarum potentiarum sphaera movetur, rarius ac difficilius adficiendus. Quantum doctrina diaetetica hominum saluti consulat vel maxime ex eo patet, quod multi ejus praecepta sequentes non tantum a morbis immunes evaserint verum etiam maximam senectutem assecuti fuerint, plures valetudinarii salutiferis hujus doctrinae praesidiis adjuti, sanitatem constantiorem acquisiverint.

Conspectus historicus doctrinae diaeteticae.

§. 6.

Quae historia naturalis philosophia ac medicina subiit fata, doctrina diaetetica (Hygiene) semper experta est. His enim pro aut regredientibus, haec quoque aut excolebatur aut a culturae, quod attigerat puncto, relabebatur. Apte historiam doctrinae hujus in tres partes dividunt auctores, quarum prima ab Herodico ad Galenum, altera a Galeno ad Boërhavium, ultima ad nostra tempora usque enarrat fata.

§. 7.

Prima doctrinae diaeteticae vestigia circa annum **450** a C. N. jam in Graecorum gymnasiis, quorum directores discipulos non solum exercere, verum etiam eorum sanitatem conservare studebant, reperiuntur. Hujus initium Herodicus paulo ante Peloponesiacum bellum fecit. Attamen prima scientifica fragmenta H i p p o c r a t i, H e r a c l i d i s filio, H e r o d i c i discipulo debemus, qui egregias aeque ac fidas observationes circa aëris, aquae, climatis influxum instituens, aphorismos, praeclaras regulas diaeteticas continentes scripsit. Qui H i p p o c r a t e m proxime sequebantur, viam ab eo designatam relinquebant, doctrinam de quatuor elementis excolentes, totidemque humores cardinales, a quibus sanitas dependeret, statuentes, dialecticis potius curiositatibus, quam veritati studentes, hanc doctrinam variis philosophicis placitis inundarunt. D i o c l e s C a r y s t u s (350 a N. C.), H e r o p h i l i u s C h a l c e d o n i u s (300 a C. N.), H e r a c l i d e s E r y t h r a e u s (200 a C. N.), a quibus solum prioris nonnulla fragmenta supersunt hujus periodi scriptores fuere. Plura majorisque momenti Cornelius C e l s u s (c. N. C.) praestitit, qui praecipua experientia confirmata diaetetica momenta succincte exposuit. Ad veram tamen disciplinam Claudius G a l e n u s extulit doctrinam hanc diaeteticam a Gymnastica sparando, et ad medicinae territorium collocando,

quam partim in propriis scriptis, partim in proprio tractatu memoriae tradidit. Licet magnus hic Hippocratis venerator ejus vestigia persequutus esset in philosophica placita abreptus spontaneam humorum corruptionem supponens, remediorum in statu sano abusui faciendo ansam praebuit.

§. 8.

Luxuria, morum corruptione, superstitione, nec non despotismo scientiae artesque a culturae, quod attigerunt, fostigio detrudebantur, unaque cum his doctrina diaetetica periit. Ultimus rationalis medicus, Paulus Aegineta, eam secundum Galeni pertractavit principia. Hoc tempore Arabes procul ab omni libera investigatione ac perscrutatione Galeni principia assumserant, iis peripathetica fundamenta, regulasque astrologicas superstitiosas adjicientes. Nec praeclariores hujus aevi auctores Isakh Ben Solimann et Ebn Zohr circa seculum duodecimum immunes ab hoc evaserunt errore. Quae omnia, quum Europaei mox imitarentur, his principiis inixus quidam e schola medica in monte Casseno ad Salerno regularum diaeteticarum synopsim conscripsit versibus, quae diu Europae inserviebat usui. Interim ad finem saeculi decimii tertii Arnoldus Bachuone, ex Vilanova astrologus, ac curiosus scholasticus, Hieronymus Cardanus initio saeculi decimi sexti insignis ingenii theosophus, Josephus Duchesne seculo decimo septimo superstitiosus salis communis aurique philosophici commendator, doctrinam diaeteticam (Hygienem) superstitione ac phantasiae ludibriis replerunt, donec ardens de novo Graecorum et Romanorum Classicorum studium hujus periodi finem versus, mentem humanam ad benignam impelleret revolutionem. Medici Galeni Arabumve jugum abjicere, naturamque scrutari incipiebant.

§. 9.

Initio seculi decimi septimi Nicolao Leoniceno, Wintero, Leonhardo Fuchsio, Michaleo Servetto et Classico Joanni Fernelio medicinam noviter fundantibus singulae scientiae incrementa capiebant. Sic Andreas Wesalius, Gabrieli Falliopia et Bartholomeo Eustachio adjuvantibus anatomiam conscripsit, Guilielmus Harveyus circulum invenit, quo fiebat, ut novam plane subiret physiologia metamorphosim; magnum tandum Baco supra scientias lumen sparsit critico lustrans oculo; scholasticas subtilitates in solo verborum inutili

selectu constantes penitus expellens, licet adhuc aurum potabile pro tuenda suaveret sanitate. Quibus praeuntihus Danielis Senertus et Fabricius Hildanus doctrinam diaeteticam pertractarunt, a quibus tamen singulis solum cognitionibus locupletabatur. Etenim detectae novae terrae partes translataque nova producta, quae mox in usum vocabantur, medicos ad eorum in sanitatem influxum detegendum impulit.

§. 10.

Auctis itaque scientiis, emendatae et naturae universae et humani organismi cognitione, novo systemati medicinae fundato mens humana feliciori successu firmiora valuit superstruere diaetetica principia. Tres immortales viri naturae humanae et medicinae systemata fundarunt praegressa longe exsuperantia, nec tamen ubique plenum valorem veritatemque continentia. Hermannus Boërhave systema jatromathematicum; Fridericus Hoffmannus mechanico-dynamicum; Georgius Ernestus Stahlius psychicum statuerunt. Omnes tres partim suis, partim discipulorum suorum scriptis magnum exseruere in doctrinam diaeteticam influxum multa experientia, theoriisque locupletantes. Ast non reticendum, illos falsis hypothesibus seductos haud parum nocuisse. Sic Boërhave sua theoria de humorum corruptione, necessaria dilutione, purificatione et evacuatione, Hoffmannus et Stahlius ideis de plethora atque statui sano convenientibus haemorrhoidibus, nec non consilio sanis dato, his per annum venam secandi et hinc inde purgantia in usum vocandi, suae aetatis civibus damnum intulerunt. Sensim haec delerinquebant medici systemata, solidas corporis partes magis respicientes.

§. 11.

Perfectior evasit doctrina diaetetica, cum a tot tantisque pertractaretur viris, magnis nostri aevi in philosophia et naturae scientiis progressibus adjutis, quibus Tode, Makenzie, Richter, Reil, Tourtelle, Hildebrand, Unzer, Peter Frank, Hufeland, May, Weikard, Faust, Struve, Collenbusch merito adnumerantur. Statuto demum a Brunone systemate dynamico, per celeberrimum Schellingium modificato, Vogel, Kilian, Bertele multum in hanc excolendam doctrinam contribuere. Quantum recentissimi auctores celeberrimus Professor Hartmann, nec non Carolus Burdach de hac meritisint doctrina, ipsa

subsecutura literaria, aetas grato aeque ac venerando fatebitur animo. —

§. 12.

Historia doctrinae diaeteticae ad hodiernum tempus usque nunc prolata, ad partem unam solummodo hujus Doctrinae scilicet victum transibo, et ob temporis brevitatem arctasque dissertationis limites, brevibus, nonnullas circa nutrimenta et potulenta regulas piaeteticas, quibus homo sanitatem quam maxime confortare ac quam diutissime conservare valeat, exponam.

CAPUT I.

De Nutrimentis.

§. 13.

Cum illa Hygienes pars, quae de nutrimentorum in organismum humanum influxu cautelisque sub eorum usu adhibendis, agit, tam late pateat, adeoque gravis sit momenti, non mirandum, antiquiores auctores totos quantos in hanc immersos materiam, reliquas hujus doctrinae partes haud parum neglexisse. Nutrimenta autem immediate pro vita sustentanda necessaria esse, plenamque eorum subtractionem mortem serius ociusve inducere, nemini non notum; quare, quae in seligendis nutrimentis observanda sunt, hic locorum sola perlustranda restant.

§. 14.

Homo inter reliqua animantia excellit et eo, quod non unico alimentorem generi adstrictus, verum illi inter plura ac varia seligendi concessa sit facultas. Ingens tamen alimentorum numerus magnaque inter illa diversitas jam antiquos naturae scrutatores eo perduxit, ut illa in duas dividerent classes, quarum una nutrimenta ex regno animali, altera illa ex regno vegetabili comprehenderet.

§. 15.

Alimenta regni animalis in genere plus nutriunt, quam illa vegetabilis, exceptis mucilaginosis, farinosis, saccharum majori quantitate gerentibus, id tamen incommodi habentibus, quod acidam fermentationem lubenter subeant. Optime sanitati prospicimus victu ex utroque regno petito. Etenim experientia teste constat, victum aut vegetabilem aut animalem merum diutius continuatum sanitati obesse; illum organorum digerentium relaxationem, acidum, flatulentiam, pituitam et inde mala dependentia; hunc scorbuticam diathesim humorumque corruptio-

nem generare, mixtum autem malis ex singulo scaturientibus occurrere. —

§. 16.

Quod singulas alimentorum species attinet, monendum, ut crebrior fiat alternatio, utpote unus idemque cibus longius continuatus nauseam inducens valetudinem offendit. Sunt tamen substantiae, quae quin recensita proferant incommoda, per longius feruntur tempus, id quod potissimum de pane valet. Quodsi mihi quis objiceret, homines sat longo tempore uno eodemque nutrimento absque ulla sanitatis turba usos fuisse, huic ego! — nulla regula sine exceptione. — Regionum septemtrionalium incolae potius animales, australium vegetabiles desiderant cibos; hinc Laponiae aliasque terrarum harum gentes praecipue tarandorum ac phocarum carne; tropicarum autem regionum incolas fere solo pane, oryza, sago, dactylis, jujubis aliisque fructibus vesci historia ennarrat. Graviores corporis labores, motusque in aëre libero crebrior, duriores tenacioresve subigunt cibos, vita autem sedentaria teneriores digestu faciliores exigit. — Illud rustici, hoc literati testantur.

§. 17.

Mammalia nullo morbo detenta, in aëre libero degentia, nec in stabulis saginata, perfectum corporis incrementum nacta optimam largiuntur hominibus carnem; in hac enim partes constituentes nimirum fibra, albumen, osmazoma, gelatina atque pinguedo ea ratione conjunguntur, ut nulla nimirum nimium in modum exsuperat; qualitas haec per diversum praeparandi et asservandi modum varie varieque modificatur.

§. 18.

Diversitatem praeparationis summum in dignitatem carnis exerere influxum, extra omne collocatum reor dubium. Maxime laudanda caro assata et torrefacta; in his enim partes nutrientes maxime retinentur; caro per repetitam adfusionem juris in superficie acquirit crustulam, qua impeditur, quominus humores nutriticii effugiant atque in vapores dispareant. Coctio reddit fibram quidpiam molliorem, magis resolubilem et hinc eupeptam; in hunc finem caro cum aqua flammae adponitur et modica salis culinaris et herbarum subaromaticarum additamento conditur; sub hac coctione aqua in jusculum mutatur, quod cuncta elementa nutrientia et excitantia in se continet, quae caro ipsa sub hac praeparatione perdidit, quippe: gelatinam,

osmazoma, pinguedinem variosque sales; albumen sub forma spumae sursum ascendentis depromitur.

§. 19.

Jusculum qua nutrimentum sane summe nutriens, roborans et ob cohaesionis modum jam ipsum eupeptus consideratur; hinc juscula concentrata vel nimis larga in genere junioribus, plethoricis aut polyblennicis individuis minus conducunt. Celebratissimus jam Boërhave erroneam vituperat illorum opinionem, qui juribus concentratissimis et gelatinis debili stomacho succurrere student, quum illae dapes a justa duntaxat vi digestrice subigantur et hac deficiente in merum gluten mutentur.

§. 20.

Modificatur porro qualitas carnis per methodum praeparandi, sic dictam emollitionem in proprio vapore (das Dämpfen); sub hac operatione vapor calidissimus fibras intime penetrat, cohaesionem imminuit, quin succus proprius subtrahatur et quin caro dura evadat; partes nutrientes hac ratione quidem solutae, ast non extractae in carne concentratae retinentur, quapropter caro in vapore cocta magis nutrire valet, ac consueto modo parata.

§. 21.

Quod vero asservationis modum attinet, hic aequali ratione summum in carnis qualitatem exercet influxum: caro sale culinari et nitro, aceto per aliquod tempus tractata, postmodum siccata, dum in aëre perflante suspenditur vel dum fumo induratur, succo fere omni orbatur et sola fibrina tenaciore instructa remanet; carnem tali modo siccatam parum succi nutrientis suppeditare, quid quod et irritantem induere qualitatem sponte sua elucet.

§. 22.

Inter animalium domesticorum carnem praecipuum locum sibi vindicat caro bubula, summe nutriens facilisque digestu, non autem silentio praetereundum esse censeo praeparatum recentioribus chimicis gallis, in specie a celeberrimo Thenard ex carne bubula extractum cujus praeparandi modus sequens: caro bubula recens optima nec unguinosa, in particulas minimas conscissa, in mortario lapideo sufficiente quantitate aquae frigidae in pultem tenacem contundenda prelo stanneo expri-

menda. Succus obtentus ebulliendo despumatur et colatura vase stanneo in balneo vaporis ad extracti solidioris consistentiam inspissatus sub nomine Osmazoma venit; substantia peculiaris penetrantisque saporis vires ventriculi, quin obruat mirum in modum resuscitat, infirmiori digestionis officina instructis ac reconvalescentibus in jusculo carnoso ad drachmam unam soluta largissimum stimulansque exhibet nutrimentum.

§. 23.

Ut, quem incepi, ordinem persequar, reliquas carnium qualitates recensere continuabo. Caro taurina hircinum fere saporem praebet et tenacitate inamoena deprehenditur; caro vaccina parum aestimatur, eo minus vaccarum illarum, quae jam plures vitulos edidere; caro vitulina, quae imprimis ex fibra tenera, gelatina facile separanda, albumine pro aetate plus minus tenui, muco in recens natis nimium aucto tandem ex pinguedine consistit, haec quidem parum nutrit, ast ventriculo commissa facile subigitur; caro agnina, haec quidem levis et tenera, parum tamen nutriens et ob pinguedinem facile coagulabilem subviscosam, digestioni non bene submittitur; quam ob rem nonnisi rite condita et assata, aptum alimentum vocari potest; caro vervecina ob fibrarum tenacitatem et majorem pinguedinis molem in coagulum adeo prona, facile ventriculum obruit; caro arietina ob saporem hircinum inamoenum, tenacitatem fibrae omnem fere vetat usum; maxima consentanea et laudabilis est caro caprae junioris per unum duosve menses lacte materno nutritae, utpote excellens fibra molliori et gelatina nutriente odorisque ingrati defectu; adultior tamen, jam aliquid hircini subdulcis nauseosi resipit; annosae vero caprae habent carnem densam, pravo succo scatentem, quare mensis non apponuntur, eo minus deterrimi hirci (Ziegenbock) caro. Aeque minus quadrat caro suillina fortiorem digestionis apparatum exposcens variisque malis, uti transpirationis suppressioni, pituitae impetiginibusque generandis favens, quare etiam ejus usum sapiens Moses Hebraeis interdixerat. Caro vero porcelli lactei (Milchferkel) et porcelli delici (Spanferkel) est fibrina admodum tenera plus gelatinae minusque pinguedinis ac adultorum instructa, quam ob rem pro cibo suavi et pro digestioni apta habenda sit censeo.

§. 24.

Caro ferina fibrarum tenacitate et larga gelatina excellens, nutrimentum ventriculo etiam debiliori accomodatumque

praebet; avium juniorum caro tenera, sapida et gulae et ventriculo blandiens large nutrit. Inferioris notae carnem aquaticae, multo praestantiorem praebent sylvas terrasve incolentes aves.

§. 25.

Multum de virtute piscium inter medicos disceptatum, jamque lis adhuc sub judice est. — Quae in genere de noxia eorum qualitate relata sunt, merito nunc ad fabulas pertinent. In fluminibus puris supra solum arenosum degentes praeferendi sunt iis ex paludosis stagnis venientibus; gaudent carne tenera facileque digestu; qua destituuntur maritimi, palato licet magis arridentes, rarius in usum trahendi. Omnis piscis recens consumendus, quippe quod diu asservatus facile corrumpitur, cui tamen arte asservandi nunc cognita (sale condiendo) occurritur. Cum omni aromate careant pisces, ob pinguedinem aegre digerendi; hinc acetum, sal aliaque condimenta ipsis adjiciuntur.

§. 26.

Inter reptilia magnam sibi comparavit famam testudo tenera carne et pinguedine facile digestu largiterque nutriente instructa. His se associant cancri, ostreae, mitylli, qui pro deliciis habentur, ast majori copia comesti ventriculum obruunt.

§. 27.

Praeter carnem alia adhuc nutrimenta ex regno animali originem ducunt. Lac, emulsi animalis species, substantiam pinguem cum animalibus succis intime mixtam gerens et crudum et coctum assumitur. Coctum quidem diutius asservandum, ob albumen autem coagulatum difficilius digerendum. Dependet porro lactis qualitas non solum ab animalis specie, verum etiam ab ejus sanitate et nutrimentis. Lac cum aliis cibis unitum difficilius digeritur. Varia autem lactis praeparatione varia obtinentur producta, quippe: butyrum et caseus, quae, utut digestu difficilia, recentia tamen largiter nutriunt. Ova debilioribus ructus aliaque gravamina generantia a fortiori subiguntur ventriculo, ad coagulationem perfectam cocta, aeque ac cruda digestioni resistunt.

§. 28.

Cibi vegetabiles. Plurimae fructuum horraeorum species,

saltem in nostro climate magis refectioni, quam nutritioni inserviunt, licet inter nostratas haud paucae numerentur, quae leniter nutriunt, uti quidam recentiorum auctorum adfirmant. Sanis tempore calidiore fructus aciduli crudi, debilioribus ad flatulentiam dispositis cocti conveniunt, inter quos pira, poma et ficus majorem sacchari partem continentes eminent. Quamvis drupacei et bacciferi fructus, prunis malisque exceptis, aquosi majori copia flatulentiam causent; attamen plurimi eorum reficiunt aestumque temperant. Uvae reliquis fructibus excellentes sanis aegrisque, ubi cetera vetantur, gratum exhibent temperans nutriensve. Bromelia Ananas, citrus decumanus, pomum sinense exoticis adnumerantur fructibus, quae omnia vim nutrientem involventia egregie reficiunt. Nuclei magnam olei pinguis quantitatem gerentes a ventriculo sat forti subigendi, large nutriunt, debiliorem autem ventriculum obruunt, rancidae corruptioni admodum faventes. Ita agunt nuces juglandes, avellanae, amygdalae.

§. 29.

Semina farinosa seu cerealia facile digeruntur et multum nutriunt, eminent inter has triticum et secale cereale, quorum illud amylo, hoc principio abundat saccharino. Hordeum secali cereali plus saccharum, minus amylum; avena omnium minimam gerit proportionem. Cum tritico convenit oryza majore mucilaginis quantitate referta. Adaugent porro zea (Mais), milium fagopyrum alimentorum copiam.

§. 30.

Legumina farina scatent graviori, multum quidem nutriente, sed validam digestionem requirente, quare hominum debiliorum et vitam desidem agentium ventriculum gravant. Maxime vero digestionis organa molestantur, si cum folliculis suis comeduntur omni digestioni resistentia. Immatura majorem principii saccharini continent quantitatem nutriuntque.

§. 31.

Plurimae radices materia nutriente, amylo, mucilagine instruuntur, quo tubera solani tuberosi pertinent; radix dauci carotae, dauci cretici saccharum magna continet copia, qua defectum amyli recompensare videntur. Magis condimenta quam nutrimenta suppeditant radices acres uti raphani rusticani, armoraceae, cepae, allii. Olera et herbae praeter aliquam albuminis et mucilaginis quantitatem parum nutrientis

gerunt, succo scatent in fermentationem admodum prono, quare in ventriculo minus valido digestionem retardant flatusque evolvunt et ad haec sola restrictis debilitatem et cachexiam inducunt. Reliquis succulentior excellit cucumis. — Quoad partes nutritivas haud multum cedit nutrimentis ex regno animali venientibus Cynara scolymus L.; non ita asparagus urinam foetore proprio impregnatum pellens.

§. 32.

Fungi natura animali magis adpropinquantes large quidem nutriunt, ast ob eorum texturam corio non absimilem difficulter digeruntur. Praeparatione quidem sapidiores, ventriculo autem minus grati redduntur. Caveat, qui illos colligit, ne comestibiles cum venenatis confundat, magna inter utrosque existente similitudine, sapore non semper distinguendi. — Postmodum plurimae fuci species gratae, sapidae, gelatinae similes modo in nsulis Graeciae, in Japonia, China comeduntur.

§. 33.

Inter nutrimentorum ex regno vegetabili oriundorum praeparationes panis memoratu dignissimus, utpote communissimum ac frequentissimum alimentum ex tritico et ceteris seminibus cerealibus parandum. Albissimum panem ex tritico spelta parant, qui citissime exsiccans, asservationi diuturniori minus aptus observatur. In australibus praeterea regionibus, uti in Gallia ex farina milii, in Bretagne ex fagopyro, in America ex zea mays panem sibi parant; regionem septemtrionalium incolae arborum corticis farinae admiscent, inferioris notae minusque grati saporis pane vescuntur. Solummodo tempore calamitatum publicarum hordeum, avena ad parandum recipiuntur panem. Cum panis qualitas ab ejus dependeat praeparatione, non inutile erit, nonnullas qualitatum externarum, quibus instructum sit, oportet, adnotare; sit itaque omnis panis aequabiliter coctus, levis, ad digiti adpulsum resonans, internaque ejus pars non glutinosa aut tenax.

§. 34.

Quae insipidis saporem addunt, ingratum corrigunt, digestionem, ventriculi vires excitando, promovent, condimentorum obtinerunt nomen, quorum praecipua breviter enumerabo. Omnium communissum sal est, sine quo paucissima solum assumuntur nutrimenta; carnem pinguem digestu faciliorem red-

dit, partim alimenta solvendo, partim ventriculum stimulando; cibosque vegetabiles in fermentationem illis propriam proclives ita determinans, ut haec praecaveatur. Qua condimentum saccharum adduci meretur, ut quod non solum acidarum, amararum acriumve substantiarum saporem corrigit, verum etiam intimam inter pinguia et aquosa efficit unionem. Quidquod ipsas nutrientes vires ipsi denegare non valemus, licet magna quantitate ingestum, pinguibus additum, ventriculum gravet. Acetum non solum corruptioni resistit, sed etiam nutrimentis gratum conciliat saporem, fervorem minuens, aestumque temperans. Ne autem ejus magnae deperdantur virtutes, acetum purum, nec acidis mineralibus, nec aliis acribus contaminatum sit, oportet. Acri principio oleoque aethereo scatentes plantae pro condimentis declaratae varios exerunt effectus. Fortiorum stimulantium zona fervida genitrix, ut incolae haberent, quo contra aestum, ventriculum relaxantem, se defenderent. His adnumerantur: zingiber, piper, cubebae, cardamomum, cinnamomum, caryophylli, nux moschata, quorum omnium usus in nostro climate arctioribus limitibus circumscribendus. Inter nostrata condimenta cuminum, anisum, foeniculum, satureja mitius agunt, minusque exaestuant. Majorem acrium, quam aromaticarum partium semina synapis, raphanus, armoracia, cepa, allium gerunt, id peculiare habentes, quod digestionem pinguium farinosarumve promoveant, flatus aut pellant aut supprimant, nec non pituitae in primis viis generationi obsint.

§. 35.

Cum non omnia nutrimenta recentia assumi, aeque minus omne tempore qua talia procurari possint, vario modo tractata pro futuro conservantur usu. Ad antiquissimas nutrimenta conservandi methodos siccatio pertinet vel fornacis vel solis calore absolvenda, qua nutrimentorum qualitates minime mutantur, verum modo particulae magis condensantur. Eadem praestat carnes assandi methodus, reliquis praeferenda. — Diutissime asservari valent carnes fumo induratae, duriores, ventriculi subactioni resistentes, fibram gelatina et albumine spoliatam, duram, tenacem exhibentes. — Pinguem sale condimus carnem, quae huic praeparationi eo aptior, quo recentior; praesente enim jam aliqua in putredinem proclivitate sal eo magis illam promovebit, quam inhibebit. Adauget porro sal stimulantem carnis proprietatem, qua fit, ut et debiliori feratur ventriculo.

§. 36.

Plantae pro futuro asservantur usu saccharo, aceto, variisque aliis condimentis additis. In genere is conservandi ac praeparandi modus praeferendus, qui simplicissimus nutrimentis nec alienas adjicit particulas, nec minimum eorum partibus nutritivis subtrahens, sanitati quam maxime consulit.

§. 37.

Quod vero tempus nutrimenta assumendi attinet, hoc pro maxima parte ab hominum dependet consuetudine, quorum plurimi certum comestionis tempus observant. Quae quidem consuetudo certis diei horis sese adstringere non solum naturae humanae convenit, verum etiam integrae familiae ab hoc more non absque noxia recedere possunt. Infantibus autem, cum parciorem quantitatem ciborum una vice assumant digestioque in illis tam rapide procedat, victus frequentior propinandus.

§. 38.

Quaeritur nunc, quoties de die, quandoque victus assumendus ab homine sano? Clima, labores, certa corporis constitutio vivendi ratio maxime in hujus quaestionis determinationem influunt, ita, ut sint, qui semel de die mensae accumbant, licet natura meridiem et vesperas versus pastum exigat. — Sero prandium assumentibus jentaculum, non uti ex more consueto fluidum, sed solidum facile digestu convenit. In coenandi tempore prandii praegressi semper respectus habendus, attendendumque, ut debitum temporis spatium intersit — de regula duae ante cubitum horae. Recte hinc diaetetica in seram noctem protractas coenas vituperat, utpote somnum inquietum, cephalaeam, aliaque mala inducentes, nullo ciborum assumtorum habito respectu. Coena sit autem levis, nec ex duris, siccis, aut difficulter digerendis substantiis constans, quantitate parcior prandio; hinc — si vis, sit tibi nox levis, sit tibi coena brevis. — Pastum levis insequatur motus, nullae corporis aut mentis graviores labores, nec immediatus somnus.

§. 39.

Quoad ordinem assumendorum nutrimentorum varios va-

riae terrae gentes mores receperunt; apud plurimas fluida pastum inchoant, solidiora finiunt; aliae inversum observant ordinem. Quid praeferendum, sponte fluit, sitis enim alioquin sub comedendo exsurgens, nullo fluido praemisso, facile ad immodicum seduceret potum assumendum. Solis jusculis, omnibus solidis abjectis nutriri, noxium; ut quibus ventriculus non satis exercitatus debita spoliatur energia, aegre stimulantibus restituenda. Solida enim non eatenus, quatenus stimulantibus proprietatibus instructa sunt, verum etiam consistentia, et, ut ita dicam, mechanice ventriculum afficiunt. — Nimiam ciborum varietatem incongruamque miscelam sanitati maxima struere pericula, et ratio et experientia confirmat. Major illorum diversitas gulae blandiens facile ad errores seducit diaeteticos, omnisque oppletio non levibus mulctatur incommodis. Modernus mos mensae adsedere, praeferendus veteri illi adcubare. — Errant, qui alimentorum intra nycthemerum assumendorum quantitatem calculo determinare conabantur, ast absque felici successu. Variat enim pro diversa hominum consuetudine, aetate, anni tempore tempestate, majori aut minori ventriculi energia, laborum genere, ciborum qualitate aliisque accidentalibus circumstantiis.

§. 40.

Incuria ac omnis meticulositas in ciborum selectu admodum nocet; haec in hypochondriasim disponendo, malaque, quamprimum strictioris vivendi rationis limites transgrediuntur, multa majora progenerando; illa nec tempus, nec quantitatem respiciens ad errores plane oppositos seducens, functionum harmoniam turbat morbumque progenerat. Contra utrumque errorem munit temperantia, quae non in accurata certarum regularum observatione, sed in simplicium nutrimentorum et ventriculi capacitati et organorum digerentiorum vi accomodatorum usu consistit moderato. Sano regula dictat haec: sequere appetitum sensumque communem, sed cave, ne quem benigna tibi largiebatur natura sensum, mentis cultura obtundans, custodeque fideli priveris! — Utut homo quam plurimis aerumnis praeferendis par sit, attamen jejunium potractum nunquam absque malis feret sequelis. Quodsi eum in finem instituitur, ut noxias ex largiori victu propullulantes auferat, vituperari nequaquam potest, utut non semper desideratum praestet effectum.

§. 41.

Variant nutrimenta pro diversitate anni temporis; hyeme solidum et animalem, aestate levem fluidumque, hyberno tempore calefacientem, aestivo temperantem conducere victum jam profani norunt. Non minus differt victus pro aetatis diversitate; aetas infantilis victum largum, animalem potumque calefacientem vetat, quem ex opposito senilis exposcit, virilis utcunque fert.

CAPUT II.

De Potulentis.

§. 42.

Potulenta reapse fluida sistunt nutrimenta; differunt ab his minore partium nutritivarum copia, majore autem humectandi facultate. Cum fluidorum quantitas in organismo illam solidorum longe exsuperet, cum per tot tamque diversas consumatur ac dissipetur vitae operationes, continuamque exigat restitutionem, non mirandum potulenta adeo necessaria esse; si quidem iis carere nequeamus sitisque fame longe intolerabilior sit. Variant autem potulenta ita, ut sint simplicia et artificialia, cum vel absque fermentatione parata aut destillatione obtenta.

§. 43.

Aqua pura recens omnium simplicissimum potulentum, quod natura cuilibet sano assignavit, sitim egregie fallens, reliquis praeferenda esset, nisi magis complicata vivendi ratio ejusdem usus arctioribus circumscripsisset limitibus. Errant, qui aquam pro absoluto sanitatis prorogandae remedio habent, aeque ac ii, qui plenarie ab ejus usu abstinent, cujus ratio facile patet: illi nimirum largum ejus usum facientes menstrua nimis diluendo digestionis officinam debilitant, hi autem necessariam humorum quantitatem denegando organismum circulationis, secretionis vehiculo destituunt.

§. 44.

Quae viribus medicatricibus scatent aquae minerales, cum aegris conveniant, pro ordinario potu ac quotidiano sanis non quadrant. Cum lac crudum hauriri potulentique vices gerere posset, nisi pinguedo ipsi propria potus ordinarii virtutes sufferret, hic solummodo nominasse juvabit.

§. 45.

Quod natura minime exigerat, consuetudo homini adeo necessarium reddidit, ut vix eo carere valeat. Sic potulentorum, infusa calida sub nomine potus theati, arabici, ac eorum, quae his substui solent venientia, in auxilium trahentes, numerum adauximus. Utut coffeam tot substantiae supplere depraedicentur, nulla tamen ejus virtutibus instructa, nota. Cichoreum ei substitutum diu continuatum oculos hebetat, non ita Cyperus esculentus L. Ubi semel potus calidus assumendus, arabicus reliquis praeferendus. Quamvis enim nervos debilitat, sanguinis motum intendit, congestiones ad imum ventrem et haemorrhoides producit, attamen mixtus a lacte leniter nutrientem acquirit qualitatem, merus autem animum exhilarat, digestionemque promovet.

§. 46.

Thea Hollandica vacuum stimulum ventriculo applicat, quo hunc et systema nervosum debilitat; Hollandicam sapore maxime aemulantur folia Clinopodii vulgaris L. Substituuntur folia agrimoniae eupatoriae L., veronica, fragaria vesca ab iisdem noxiis effectibus non libera, quos genuinae theae tribuimus. —

§. 47.

Longe majoribus virtutibus excellit potus ex seminibus cacao paratus, cum praegressis nulla ratione comparandus, qui addita siliqua Vanillae ventriculum vix gravat. Exposcit quidem persistentem digestionem, ast largiter nutrit. Quo minus fortioribus, plethoricis, vitam desidem gerentibus convenit; eo magis vita debilis, humorum exinanitio ejus efflagitant usum, dummodo digestio non sit prostrata. His omnibus oppositam agendi rationem habent potulenta ex seminibus pinguibus aut aurantiorum parata, quae aestum temperant, humores diluunt simulque reficiunt.

§. 48.

Quae fermentationem subierunt potulenta, cerevisia ac vinum eo magis commemorari merentur, quo magis aqua rejecta pro potu ordinario hauriuntur. Si potum ordinarium cupimus, cerevisiam censeo vino esse praeferendam. Minus enim

stimulat calefacitque; id quod multum a praeparatione ac intensitate ejus dependet. Quod partes cerevisiae constituentes attinet, ad has generatim praeter aquam et spiritum vini adhuc Lupulin, saccharum, mucus, productum extractivum, calcaria phosphorica et magnesia numerantur. Bona riteque fermentata cerevisia multum sacchari, mucilaginis, minus alcoholi gerens, nullam prodit acidam indolem, nec aliis peregrinis in locum humili lupuli positis inquinata est. Domestica quidem cerevisia sitim magis fallit aestumque temperat; ast in acidam fermentationem subeundam proclivior diarrhoeam ac stranguriam causat. Excellentes vini potatores labefactata digestione melius cerevisiam ferunt, imo nec caret historia exemplis, quod hi cerevisiae assuefacti meliorem nanciscerentur sanitatem nunquam amplius ad vini usum impellendi.

§. 49.

Praeter principales, alcohol et aquam, quibus constituitur vinum, partes aliae adhuc variae ejus virtutem modificantes, uti acidum tartricum, lixivia, mucilago, saccharum, principium extractivum, taninum commemorari merentur. Stimulans vini virtus in organismum directa per enumerata ita modificatur, ut in reproductionem alium atque alium exserat effectum. In genere vinum stimulando vitam excitat, labore gravi exhaustis gratum simul et roborans exhibet remedium. Infantibus ac juvenibus vinum venenum; viris rarus, senibus frequentior esto usus. — Vinum lac senum. Sicuti non omnis aetas, ita nec omnis corporis constitutio vini usum fert, quod in phthisicis et plethoricis observandum.

§. 50.

Ex vinorum aetate et reliquarum partium constituentium proportione magni in organismum redundant effectus, ita, ut juniora acidula tartaro referta reproductionem laedant; aetate autem provecta dejecto tartaro alcohole magis evoluto valetudini faveant. Vina rubra austera laxiore constitutione instructis ac in crebras excretiones dispositis consulunt; ad alvi segnitiem dispositis vero obsunt. —

Stimulant unaque nutriunt dulcia vina majore alcoholis et sacchari copia instructa, quare eorum dosis minor rariorque sit, oportet.


§. 51.

Spiritus vini ex vino aut alia in fermentatione vinosa de-

tenta substantia obtinendus, fortissimum exhibet stimulans jure ex diaeteticorum classe ad illam therapiae religendum. Interim moderatus usus solum iis concedendus, qui constitutione lymphatica, pastosa, temperamento phlegmatico instructi sunt aut incolis locorum paludosorum, nemorosorum per graves corporis labores admodum defatigatis ac debilitatis; secus strenue, ejus usus diaeteticus interdicendus, nam mala inde propullulantia sunt innumera, qua ex causa senatus Londinensis manifestis, ejus usum interdicere jussit. Mixtum ex alcohole, aqua calida, saccharo, succo citri sub nomine „Punsch" veniens, utut aliis gratissimum raro adhibendum ac magis vituperandum esset, nisi diluta alcoholis vi stimulans a systemate cerebrali ad cutaneum derivaretur.

§. 52.

Reliquae circa potum observandae regulae, tum tempus, tum quantitatem respiciunt. Suadent auctores debili ventriculo, ne fluidorum inundetur copia, minorem potus quantitatem. Abstinentia plenaria a potu pertinacem alvi obstipationem, nec non scorbuti inducit symptomata; vehiculum, quo cibi solvuntur, quo sanguinis mixtio et circulatio fit, subtrahenda. Calculus, quem duxerunt, intermedius ita sit constitutus, necesse est, ut nutrimentorum assumtorum pondus bis superet. Adaugetur quantitas potus assumendi tempestate fervida, sicca, laboribus vires exhaurientibus, sudores excitantibus aut topice irritantibus.



Litteratura.

Hippocratis et Galeni opera edidit Charter. Tom. IV.

Pauli Aeginettae, salubria de valetudine praecepta. Argentorati 1511.

Isaci, filii Salomonis, liber de diaeteticis universalibus et particularibus. 1570.

Arnoldus de Villanova, de regimine sanitatis in Opp. Lugduni 1520.

Hier. Curdani, de sanitate tuenda, lib. IV. Romae 1580.

Historia vitae et mortis. Londini 1623.

Baco, über die Lebensverlängerung; übersetzt und mit Anmerkungen von Struve. Glogau 1799.

De conservanda valetudine. Francof. 1629.

C. C. Löber's kurze Anführung zu einer heilsamen Lebensordnung und Gebrauch der Speisen nach Boërhaveschen Sätzen, aus der Erfahrung bewiesen. Jena 1744.

F. Hofmann's kurz gefasste Diaetetica. Jena 1744.

Krüger, Diät und Lebensordnung. Halle 1751.

Richter, praecepta diaetetica et materia alimentaria. Heidelbergiae 1780.

D. W. Tritler's diätetische Lebensregeln. Wittenberg 1786.

Hufeland, die Kunst, das menschliche Leben zu verlängern. Jena 1798.

G. A. Bertele, Versuch einer Gesundheitserhaltungskunde. Landshut 1806.

G. W. C. Consbruch, diätetisches Taschenbuch für Ärzte und Liebhaber der Gesundheit. Leipzig 1803.

A. F. Burdach, Diätetik für Gesunde. Leipzig 1805.

Hildebrand, Taschenbuch für die Gesundheit. Erlangen 1812.

K. A. S. Forster, Macrobiosis seu ars diu vivendi. Harderov 1812.

L. Vogel, diaetetisches Lexicon. Erfurt 1800.



Theses defendendae.

I.

Homini mixtus convenit victus.

II.

Non dantur fines strictae inter regnum animale et vegetabile.

III.

Philautia medici pernicies aegri.

IV.

Continua remediorum variatio vallicantem designat medicum.

V.

Aër atmosphaericus sistit aggregationem mechanicam.

VI.

Animi foecunditas in foeminis saepius in causa est sterilitatis.

VII.

Quale nutrimentum, talis sanguis.

VIII.

Thoracula phthiseos et chloroseos causae.

IX.

Venus mater, Bacchus pater, ira obstetrix Arthritidis.

X.

In scrophulis sol, aër et aqua plus praestant, quam pharmaca.

XI.

Medicus castrensis nec ulla artis medicae doctrina careat, oportet.

XII.

Amor non paucos et parit morbos.

XIII.

Medicus, qui collegam invidia persequitur, animi sui imbecilitatem prodit.

XIV.

Vena portarum porta malorum.

XV.

Indicatio operationis chirurgicae ad medicinae pertinet forum.

XVI.

Exstirpare, amputare nequaquam est sanare.

XVII.

Malus homo bonus medicus esse nequit.

XVIII.

Dantur morbi cum evolutione generis humani pari passu incedentes.

XIX.

Examen aegri nunquam negligendum — nam —

XX.

Medicus, sensum practicum sibi jam esse, falso putans, semper periculosus.

XXI.

Humanitas, religio, prudentia, his medicus ne careat.

XXII.

Medicus non solum minister, sed et magister sit naturae.

